

DIODORI SICVLII BIBLIO
THECÆ, SIVE RERVM

ANTIQRVARVM HISTORIAE,
PROOEMIUM.



MAGNAS merito gratias rerum scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimum uitae mortalium profuere. Ostendunt enim legentibus, praeceptorum exemplis, quid nobis appetendum sit, quid ue fugiendum. Nam qui multarum experientia rerum varijs cum laboribus, periculisq; procul ipsi ab omni discrimine, gesta legimus, nos admonent maxime quid conferat ad degendam uitam. Ideoq; Heroum sapientissimus est habitus is, qui sapientius aduersam fortunam expertus, multorum urbes ac mores cospexit. Cognitio uero ex aliorum tum secundis tum aduersis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem. Omnes praeterea mortales mutua quadam cognatione uinctos, licet locis ac tempore distantes, sub unum ueluti conspectum redigunt: diuinam sane providentiam imitati, quae tum caeli ornatum, tum naturas hominum uarias communi ordine quodam per omne aeuum complexa, quid quocumq; deceat, diuino munere imperitur. Eodem pacto qui totius orbis uelut unius ciuitatis acta suis operibus instruxerunt, in comunem ea utilitatem conscripsere. Pulchrum est igitur, ex aliorum erratis in melius instituire uitam nostram: & non quid alij egerint querere, sed quid optime actum sit, nobis proponere ad imitandum. Seniorum consilia, quos longa aetas prudentiores efficit, laudantur a iunioribus. At hos tanto antecellit historia, quanto plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quam hominis aetas. Itaq; ad uitae institutionem utilissima historia censenda est, tum iunioribus, quos lectio diuersarum rerum antiquioribus aequat prudentia: tum uero aetate maturis, quibus diuturna uita rerum experientia subministrat. Adde quod priuatos uiros imperio dignos efficit, imperatores ob immortalem gloriam ad praecleara facinora impellit: milites propter laudem quae mortuos sequitur, promptiores efficit ad pericula pro patria subeunda: improbos timore infamiae a malis facinoribus deterret. Deniq; literarum monumentis, quae testimonium uirtuti prebent, moti quidam, tum condidere ciuitates, tum leges utiles uitae mortalium ediderunt. Nonnulli nouarum artium doctrinarumq; inuectores ad usum gentium extiterunt. Sed omnium rerum quibus felicitas hominis paratur, laudem praecipuam causamq; historiae tribui decet. Est enim custos eorum quae cum uirtute acta sunt, testem se malefactis, beneficamq; erga omne genus hominum praebens. Etenim si ea quae de inferis, & quidem fabulose, feruntur, multum conferunt hominibus ad pietatem ac iustitiam seruandam: quanto magis putandum est historiam ueritatis assertricem, tanquam totius philosophiae parentem, mores nostros effingere ad uirtutem: Omnes enim fere mortales naturae infirmitate maiorem uitae partem ociosi ac segnes degunt: quorum uitae ac mortis aequa obliuio est, cum par utriusq; interitus sequat. Virtutis uero facinora immortalia sunt: praesertim cum historiae beneficium accessit. Et quidem decorum est, mortales labores petiti pro gloria immortalis. Hercules quidem magnos multosq; dum uixit, labores ac pericula sponte adiit, ut pro suis erga omnes gentes beneficis immortalitate donaretur. Caeteros egregios uirtute uiros, hos quidem Heroum, hos uero decorum honores assecutos uidemus: omnes certe magna

De laudibus historiarum